



Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1863

CXIC. Johann, Bischof von Cammin, verleiht den Wohlthätern des verarmten Kloster Bernstein einen Ablass, am 18. April 1359.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55861](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55861)

CXIX. Johann, Bischof von Cammin, verleiht den Wohlthättern des verarmten Kloster Bernstein einen Ablass, am 18. April 1359.

Johannes, dei gratia episcopus ecclesie Caminensis, Universis et singulis ecclesiarum et Capellarum Rectoribus eorumque vices gerentibus, ad quorum notitiam presentes peruenerint, salutem in Domino sempiternam. Pia mater Ecclesia, de animarum salute sollicita, devocionem fidelium per quedam munera spiritualia remissiones videlicet et indulgentias ad dandas elemosinas pro sacris edibus construendis invitare consuevit, ut quanto diligentius et benignius populus Christianus sua subsidia indigentibus fecerit, tanto delictorum suorum veniam et regni celestis gloriam consequi mereatur eternam. Cum igitur nobis dilecte in Christo filie abbatissa totusque conventus sanctimonialium monasterii in Bernsteyn ordinis sancti Benedicti nostre dyocesis, que spretis mundanis illecebris elegerunt in abiectione voluntarie paupertatis altissimo famulari nobis exposuerunt, quod ipsum monasterium memoratum est destitutum ornamentis et aliis suis necessariis ad cultum divinum et rebus aliis ad ipsum spectantibus, quod omnium creatori non bene valeant deservire, nec propriis sumptibus ea valent reformare, nisi Christi fidelium elemosinis subveniatur eidem. Idcirco universitatem vestram rogamus in Domino Jhesu Cristo et hortamur, vobis in remissionem peccaminum salubriter injungentes, quatenus nuncios dicti monasterii, cum ad vos cum presentibus venerint, apud populum vobis subjectum efficaciter promotum habeatis ut idem populus ipsis ad reformationem dicti monasterii ejusque ornatus et ad subveniendum earum inopie pios elemosinas et grata subsidia Karitatis dignentur misericorditer impertiri et sic saltem per ejus subventionem dictarum fororum inopie et paupertati consulatur, ut per hec et alia bona opera, que inspirante domino ipsis facta fuerint, ad eterne felicitatis gaudia poterint pervenire. Nos enim omnibus vere penitentibus et contritis, qui dictis nunciis de bonis sibi a Deo collatis ad edificationem et reformationem monasterii prefati manus suas porrexerint adjutrices et ad comparandos libros, calices siue ornamenta ecclesie prius dicte suas elemosinas fuerint largituri, aut qui utilitatem et profectum dictarum Sanctimonialium egerint in premis, quocumque et quodcumque id fecerint, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum apostolorum Petri et Pauli, eius suffragiis confisi, quadraginta dierum indulgentias et unam Karenam de injunctis sibi penitentis in domino misericorditer relaxamus, presentibus vero extra terras et dominia marchionatus Brandenburgensis et Ducatus senioris Ducis Stetinensis ab ista parte Odere et extra terram et civitatem nove Stargarde minime valituris et nullius volumus esse firmitatis. Indulgentias nihilominus a venerabilibus in Christo patribus, Dominis Archiepiscopis et Episcopis eidem monasterio et sanctimonialibus datas et concessas ratificamus et confirmamus in nomine domini per presentes. Datum Camryn, anno domini M^o. CCC^o. quinquagesimo nono, in cena domini, nostro majori sub sigillo.

Aus Bedmanns handschriftl. Nachlasse.